Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 441
Quelle:
Copyright:

Salue uerbi sacra parens,
Flos de spina spina carens,
Flos spineti gloria.

Nos spinetum, nos peccati
Spina sumus cruentati,
Sed tu spine nescia. &c.

CCLVIII.

R. 3258 Codex membraneus lat. Sec. cum XI. tum XII. Folior. 189. f. eleganter scriptus, coloribusque illustratus exhibet I. *Origenis Adam. Homilias* XXVIII. in *Librum Numerorum*, manu Sec. prioris, e versione *Rufini*, et cum hujus Praefatione, licet ambigue praescripta sit *Prefatio Origenis*. Hanc Elenchus excipit, qui non nisi XXVII. numerat *Homilias*, cujus ratio est, quod in Opere ipso ultimae duae in unam contractae sunt. Itaque nihil prorsus in Codice deest. Titulus Operis: *Incipit Expositio Origenis In Librum Numeri.* Initium: *Diuinis numeris non omnes digni sunt* &c. Textus collatus cum Edit. *Maur.* T. II. *Paris.* 1733. p. 275. f. utcunque castigatus est, imo habet, quae tacitus praeterire nequeo. *Rufini* Praefationem *Ruaeus* editor inscripsit *ad Ursacium*; legit enim in decursu: *te quoque ipso in quam plurimis juvante, Ursaci, nostrum laborem, dum nimis cupidus pueruli notarii tardum putas esse ministerium.* Ast ego lego: *te quoque ipso in quam plurimis iuuante ursatii nostri laborem. dum nimis cupidus es, pueruli* &c. Ut igitur *Ursacius pueruli Notarii* nomen, Praefatio vero ad *Donatum*, quem in principio adpellat, directa esse videatur. Praeterea paene malim, *quod Italie solum Siculo dirimit* pro *ubi — dirimitur*, item *sensus alienos captare* pro *aptare*, item *explanationum libris* pro *explicationum*, et *fructum in profectu legentium ponat* pro *in profectum promat.* Dein *Homil.* I. *mulieres educuntur* pro *deducantur*, item *uirtus israelitica* pro *virtus in Israelita*, item *Innumerati enim apud Salomonem* pro *Innumeri* &c.

II. *fol.* 136. manu Sec. XII. *Incipit prologus hieronimi presbiteri in expositionem ecclesiastis.* Ita nempe: *Memini me ante hoc ferme quinquennium* &c. Ut edit. *Vallars.* T. III. *col.* 381. cui Codex noster cumprimis consentit. Noto tamen in Operis ingressu legi *prophetiam Christi et ecclesię continentes* pro *ad prophetiam Christi et ecclesiae pertinentes*, dein pro *Logica* vel *Theorica* haberi *Theologiam*, item pro *regni proprii merito vindicatur* vel *indicatur* vel *judicatur auctoritas* scriptum esse *regni proprii metropolis uendicatur auctoritas.* Non absone, si τὸ *metropolis* gignendi casu sumatur; dixerat enim paullo ante *Hieronymus* de *Metropolitis*, *hoc est*, *habitatoribus Jerusalem* &c.

CCLIX.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 131. f. per duas columnas eleganter exaratus, minio R. 3063

 distin-